

menti per testes vel instrumento in scriptos, vel extraneos, consule Covarruviam lib. 2. Var. resolut. cap. 13. num. 11. ubi observat, legem Regiam in Hispania quatuor exigere, ut per testes fides instrumenti directe improbetur. "Primum, quod tabellio alioqui nutantis sit fidei, quippe quae ex fama dubia quoquo modo fit. Secundum, testes esse probos viros. Tertium, actum ipsum, cujus instrumentum meminit, non esse antiquum, sed paucis ante annis confectum. Quartum, quod omnes testes instrumento adscripti, unanimes & concordis testimonio adversus instrumentum jurati testificentur."

LIV. Sunt quaedam negotia, quae ferè non nisi per instrumenta probari possunt, veluti res antiquitatis gestae, itemque acta iudicii, aliaque nonnulla relata à Tuldeno ad citatum titulum n. 2. ubi tamen n. 3. mox, regulariter quaecumque negotia vel contractus etiam sine scriptura valere, dummodo aliunde de veritate constet; hinc ulterius concludit n. 4. strictè esse interpretanda statuta, quae contractus certae quantitatatis, celebratos sine instrumentis, declarant irritos.

LV. Simile aliquod statutum publicatum fuit per Principes nostros anno 1612. Edicti perpetui art. 19. circa dispositiones sive per ultimas voluntates, sive inter vivos, quae excedunt aestimationem 300. florenorum, quas omnes in scriptis fieri mandant; decernentes, quod sola scriptura sive instrumenta super his confecta fidem faciant, facta à inhibitione iudicibus recipiendi illas alias probationes. Verba sunt: *Om die s'vulle datter vele processen worden ghevoert tusschen onse ondersaeten ter oorsake van de menichvulicheit van seytens, die men voortbrenght ende poseert gheschiedt ende ghevalen te wesen in de conventien ende contracten, ter oorsake vande wvelcke men ageert, ghelyck oft daer meer vvaer gheseydt oft besproken geveest als inhouden de instrumenten daer op ghemaecte, t zy onder hunne signaturen oft vvel voor Notarissen ende Ghetuyghen: ghelyck oock op t stuck vande dispositien rakende testameten, contracten van houwvelych, ende alle andere specien van conventien, oft dispositien cauferende eene groote onsekerheyt, ende sumtys diverssteet ja contrarieteit in t betoonen met belemmeringhe van processen tot groote schaedde van partien. Wy, om hier inne te versien, hebben gheordonneert ende ordonneert mits desen, dat van alle saken, vvaer van onse ondersaeten sullen wvullen handelen oft disponeren, excederende de vveerde van dry hondert ponden Arthois eens, t zy by ordonnantie van nytersten vvvulle, gisfen, contracten van houwvelych, vvercoppen oft andere contracten, hoedamoch die zyn t zy van reele saken oft in gelde, vande vverde als boven, dat sy het selve doen by ghescripte, t zy onder heure signaturen oft voor Notarissen ende Ghetuyghen, oft andere openbare personen (naer de qualiteit ende importantie vande voorseide contracten ende dispositien) de vvelcke daer van sullen maken de instrumenten in behoerlycke vorme; de vvelcke alleene sullen dienen tot behooninghe van t gheue voornoemt is sonder dat de Rechteren sullen moghen ontfanghen eenighen anderen thoon by Ghetuyghen boven t inhouden vande selve. Id est: Cum multae inter subditos nostros lites suscitentur ob multitudinem factorum, quae producuntur, aut occurrunt supponantur, in conventionibus & contractibus, ratione cujus proceditur, ac si plura expressa & conventa forent, quam in actis de super seu chirographo suo munitis, seu coram Notariis & testibus conscriptis contineatur, prout & in casu dispositionum testamenta concernentium, & nuptialia, aliudque omne conventionum genus aut dispositionum, unde magna incertitudo; aliquando diversitas quin & contrarietas in producendo exurgit, cum litium intricacione, graviq; partium detrimento. Nos quoque his provideamus, mandavimus, & hisce mandamus, ut omnis negotii, de quo convenire aut disponere subditi nostri intendunt, si valorem trecentarum librarum Artesiarum semel dumtaxat excedat, seu per dispositionem ultimae voluntatis, donationum, pactorum nuptialium, venditionum, aliorumve contractuum, quaecumque; id fuerit, seu quidpiam reale, seu pecunia valoris ut*

supra scripto tabulae conficiantur vel sub suo chirographo, vel coram Notario & testibus, vel personis aliis publicis (juxta qualitatem & momentum dictorum contractuum & dispositionum) qui de super acta secundum formam legitimum perscribent, quae sola inservient ad demonstrandum, quod supra dictum est, nec poterunt iudices praeter eam, quae ibidem continetur, aliam per testes probationem excipere.

LVI. Articulus hunc desumptum esse ex Constitutione Franciae à Carolo IX. Molinis data anno 1566. art. 54. observat Antonius Anselmo in Commentario ad hunc articulum §. 3. notatque, in aliis Regnis & Provinciis similes Constitutiones vigere, ad diminuendas & abbreviandas lites.

LVII. Refert ibidem Anselmo §. 8. non semel decisum fuisse in Regiis Conciliis, hunc articulum non excludere juramentum liti desistorium, uti nec confessionem Partis in iudicio factam.

LVIII. Interpretationis quoad probationem per juramentum meminit quoque Tuldenus loco citato n. 4. atque inde concludit, non ad substantiam, sed ad probationem, scripturam exigere; notatque, hanc statuta eadem ferè ratione niti, quae jus Romanorum actionem negans ex pactis non roboratis stipulatione. Nam invenitur idem incommodum perplexarum litium ex lubrica & obnoxia testium sapè dissidentium fide.

Ex his facile intelligitur, quod ordinatio haec dumtaxat concernat formam probationis in iudicio, nullatenus vero ipsam obligationem in foro poli; eamque ex conventionibus contractam esse, tamen si per scripturam in iudicio probari nequeat.

LIX. Quin & declaratum fuit, non esse exclusam probationem, quam de jure, statuto, aut consuetudine merentur libri mercatorum. Quam fidem autem mereantur libri mercatorum, vide apud citatos ab Anselmo ad art. 20. Edicti perpetui §. 3. hoc interim certum est, similes libros non probare nisi de rebus ad mercaturam, quam exercent, magistri librorum, spectantibus.

LX. Meminit autem Edictum duplicis scripturae, scilicet privatae & publicae; atque utramque ad probationem sufficere insinuat. Scriptura enim, quae dumtaxat munitur sigillata vel sigillo alicujus privati, reverà privata censetur; hanc autem sufficientem esse indicat his verbis: *T zy onder hunne signature.*

LXI. Ut autem intelligatur, quam fidem mereantur scripturae privatae, notandum, hujusmodi scripturas privatas trifariam distingui posse.

Sunt enim harum aliae, quae in proprium commodum à privato sunt conscriptae. Aliae vero pro aliis, sive in commodum aliorum; & tertiae tam pro semetipsis, quam pro aliis sunt conscriptae.

LXII. Scriptura illa, quam quis pro semetipso, sive in proprium dumtaxat commodum pro scribit, nullam in propria causa, & pro suo commodum probationem efficit, nec pro ipso scribente quidquam probat.

LXIII. Illa autem scriptura, quam quis scribit aut signat, vel suo sigillo munit & probat in commodum alterius, & ad sui obligationem, probat contra scribentem; & de hac scriptura agit Edictum perpetuum citato art. 9.

LXIV. De hac quoque, privata scriptura agit in Cap. 14. De Fide instrum. ubi respondit Pontifex, quod "si causae, ut indeterminate loquatur, adversarius teneatur ostendere debitum, quod continetur in ea. Sed si causam, propter quam hujusmodi scriptura processit, expresserit, in eadem confessioni ejus stetur, nisi probaverit se indubitè promississe."

LXV. Ex hoc textu communiter duo concludunt Doctores. Ex primo scilicet membro Decretalis, quod privatae scripturae, apochae sive chirographa obligatione sine causa continentur, id est, causam obligationis non exprimentia, de jure sint nullius momenti, aut certe inefficaciae perquam exiguae; nisi tamen consuetudo aut statutum aliter disponeret, quomodo

quae admodum Bugis, Antverpiae, ac in aliis civitatibus, in quibus frequenter mercatores negotiantur, statutum esse, quod super privata scriptura sive obligatione etiam non causata, nec ullam obligationis causam continente jus reddatur, testatur Damhouderus in Praxi rerum civil. cap. 175.

LXVI. E posteriori Decretalis membro deducitur, scripturam privatam continentem causam obligationis contra scribentem plenè probare; quod & in Praxi receptum esse testatur Merula in Praxi Curiae Hollandicae lib. 4. tit. 66. cap. 3. num. 4. & de moribus nostris Zypaeus in Notitia Juris Belgici tit. De Fide Instrum. num. 2. dicitque Damhouderus loco citato num. 9. quod si ipse fuit scripturam in iudicio confiteatur, illico esse condemnabilem exsolvere; aut si contra eam aliquid dicere vellet, nantizare aut consignare condemnaretur summam in sua privata scriptura contentam.

LXVII. Testatur quoque Rebuffus in praefatione Tractatus De Chirographorum & cedularum recognitione num. 44. practicum Galliae esse fundatum in consuetudine & Ordinationibus Regiis, "ut qui habet cedulam alicujus, citare faciat eum visurum recognoscere, sive (ut dicunt) confiteri vel negare suum chirographum, & si confiteatur, se scripsisse, vel alium suo mandato, tenebitur munire manum, & garnire summam contentam in cedula. Si vero Reus illam neget, datur dilatio Actori ad probandum, nec condemnatur Reus ad garniendum, vel solvendum, donec probatum fuerit eum scripsisse."

LXVIII. Habet autem cedula sive scriptura privata in iudicio recognita paratam executionem, saltem de consuetudine; quia habetur haec recognitio pro confessione: confessus autem in iure habetur pro iudicato, & iudicatum habet executionem, uti ibidem notat Rebuffus num. 46.

LXIX. Idem procedit, tamen si cedula esset minus solemnis, puta sine die & subscriptione: quia si equidem Reus fateatur se scripturam, tenebitur garnire sive nantizare. Licet enim instrumentum per se non sit sufficiens ad probandum, tamen partis confessio in iudicio facta manet rata; uti notat Rebuffus ibidem n. 48. additque, quod scriptura sic recognita sit major quolibet instrumento etiam publico, & quibuscumque testium depositionibus.

LXX. Inò ut quis condemnatur ad garniendum sive nantizandum, sufficit recognitio solius subscriptionis, vel scripturae, licet negaretur debitum: tunc enim iudex eum condemnaret ad nantizandum salvis suis defensionibus.

LXXI. Sigilli vel signi appositum per eum, qui scribere nescit, recognitio sufficiens est, ut condemnetur ad garniendum: nisi tamen probaret per alium esse sigillum appositum; utpote quia illud perdidit, & ita iudicatum fuisse ait Rebuffus num. 62. addens: "Ideo inventa est haec clausula, quae in fine sigilli apponi solet: *Et in fidem praemissorum, iussimus has litteras sigilli nostri appensione communiri.*" Non tamen facile praetiumendum est, sigillum per tertium esse appositum, praetertim si de sigillo publico agatur, uti ex Molinæo ad Consuetudines Parisienses monet Covarruvias Pract. 99. cap. 22. num. 9.

LXXII. Plura circa formam, & effectus hujus recognitionis videri poterunt apud Rebuffum in hoc tractatu, ubi & late exponit Ordinationem Francisci I. Regis Franciae anni 1539. art. 92. & 93. quorum hic est tenor: *Qui contes parties, qui seront adjournées en leurs personnes, en cognoissance de cedule, seront tenus icelles cognoistre, ou nyer en personne, ou par Procureur specialement fondé, per devant le juge Seculier, en la jurisdiction duquel seront trouvez sans pouvoir alleguer aucune incompetence: Et ce avant que de partir du lieu, où lesdits Parties seront trouvez: autrement lesdits cedules seront tenus pour confessées par un seul defant, & emporteront hypotheque du jour de la sentence, comme si elles avoyent esté confessées.* Id est: Ut quaecumque partes personaliter citatae ad agnitionem schedulae, eas obstringantur vel personaliter admittere vel negare, aut per Procuratorem specialiter constitutum coram Iudice laicali, sub cuius jurisdictione deprehendantur, nec licebit eis defectu

jurisdictionis obtendere, idque antequam excedant, in quo partes convenerint, alias dictae schedulae censentur admittitae ob unicam vadimonii desertionem, hypothecamque evincant à die latae sententiae, non secus ac si admittitae fuissent.

Si autem est adjourné en cognoissance de cedule, & compare, ou contesse denyant sa cedule, & par apres elle est prouvée par le creancier, l'hypotheque courra & aura lieu du jour de ladite denegation & contestation. Id est: Si aliquis citeatur ad agnitionem schedulae, compareatque, vel de illa contendat, suamque esse abnuat, posteaque per creditorem probetur, hypothecha à die recusatationis controversiae locum obtinebit, & effectum fortietur.

LXXIII. Conforme est Edictum Caroli V. de 7. Martii 1537. extans parte 1. Edict. Brabantiae lib. 3. tit. 12. cap. 4. quo edicitur, ut si quis in iudicio conveniatur super obligatione contenta in cedula, quod prima die iudiciali si Reus personaliter praesens sit, vel in termino, quem ipse iudex, unà tantum dilatione concessa, assignaverit, tenebitur scedulam agnoscere, vel diffiteri; & si agnoscat scedulam à se scriptam, subsignatam, vel suo signo signatam, vel suo mandato sive iussu, indilate condemnabitur summam in scedula expressam nantizare sive consignare apud iudicem, quam summam sic nantizatam poterit Actor levare sub sufficienti & idonea cautione fidejussoria arbitrio iudicis, de restituenda praedicta summa in casum, quo deprehenderetur per definitivam non fuisse debitam. Haec tamen consignatio indicenda non est, si Reus velit intra octiduum probare legitimam exceptionem contra illam scedulam; quae dilatio ipsi à iudice indulgenda erit, & non longior. Si Reus die statuto non compareat, iudex consignationem decernet, modo de legitime facta citatione constet.

Si autem Reus scedulam à se aut suo iussu scriptam aut signatam neget, & postmodum iudici ostendatur ipsum callumiosè negasse, tunc Reus condemnabitur in solutionem dictae summae, & ab omni exceptione, in poenam mendacitae excludetur; ac insuper in multam pecuniariam aequivalentem sextae parti summae in scedula expressae.

Notandum hoc Edictum specialiter concernere mercatores; atque editum est, ne cursus mercaturae sisteretur per dilaciones solutionis.

LXXIV. Quomodo autem probatio scripturae fieri debeat, sive per testes, sive per comparisonem litterarum, praesertim juxta Constitutionem in L. 20. Cod. De Fide Instrum. & Authenticas ei subjectas; videri poterit apud Rebuffum in Praefatione Tractatus De Chirographorum Recognit. num. 28. & Gudelinum De Jure noviss. lib. 4. cap. 11.

## CAPUT VIII.

## De Juramento suppletorio ob defectum probationum.

- 1 Juramentum semper estimatum ut medium expediendarum controversiarum.
- 2 Hinc in iudiciis ob defectum probationum juramentum jam pridem adhibitum.
- 3 Propterea dictum suppletorium, tamquam in causis dubiis defectum probationum supplet.
- 4 In Legibus Romanis frequens illius mentio; sed nulla in primis Canonibus.
- 5 Videtur cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrasse.
- 6 Alexander III. resolutionem suam ex legibus petit.
- 7 In Decretalibus Gregorii IX. sub titulo De iurjurando extat unica Decretalis de hoc juramento.
- 8 Refertur textus hujus Decretalis.
- 9 Ex hoc textu includitur, hoc juramentum non esse defendendum nisi deficiente alia probatione.
- 10 Causa debet esse admodum dubia, ut huic juramento possit esse locus.



- 11 Reprehenduntur iudices nimis facile hoc juramentum deferentes.
- 12 Delationem hujus juramenti ad supplendum defectum probationum reprobatur Antonius Faber.
- 13 Indubitatum est admodum parca & circumspicere juramentum hoc deferendum; quia jurans constituitur iudex in propria causa.
- 14 Ex delatione hujus juramenti natum est fieri, ut mali in causa injusta vincant, & boni causam justam perdant.
- 15 Antiqua Visigothorum Leges vetant facile hoc juramentum deferre.
- 16 Idipsum inculcant Capitularia Regum Francorum.
- 17 In Gallia consuetudinaria vix est aliquis usus hujus juramenti.
- 18 Etiam in his partibus rarus est usus: & quare?
- 19 Ob periculum perjurii non deferitur in criminalibus, nec in actione famosa.
- 20 Similiter nec in causa Civili ardua & notabili.
- 21 An res sit ardua, attendenda conditio personarum & locorum? (bus.)
- 22 Dum de re temporali agitur, raro deferendum pauperibus.
- 23 Ob periculum perjurii non condemnandus Reus eadem sententia, qua Actor deferretur juramentum.
- 24 Iudex non rogatus hoc juramentum non deferat, ne ad perjurium incitare videatur.
- 25 Homines nimis faciles sunt ad pejerandum, ubi agitur de lucro. (deferendum.)
- 26 Concluditur summa cum moderatione juramentum hoc



Uramenti apud omnes semper summa religio fuit, atque ad dirimendas controversias medium maximè opportunum existimatum. Hinc illud apud Romanos in L. 1. ff. De Jurejurando, "maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactioe ipsorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ."

II. Inde contingit, ut iudices ob defectum probationum in causis decidendis juramentum adhibendum judicaverint; ut dum veritas per testes, instrumenta, simileve ordinarias species probationis haberi non posset, per jurisjurandi religionem veritas à litigantibus eliceretur.

III. Idcirco hoc juramentum merito dictum fuit *suppletorium*, quasi nimirum defectum probationum *supplens*. Solent enim sæpè iudices in dubiis causis, exacto jurejurando, secundum eum judicare qui jura verit, ait Cajus Jurisconsultus in L. 31. ff. De Jurejurando. Et Imperatores Diocletianus & Maximianus in L. 3. Cod. de Rebus creditis & Jurejurando, "In bonæ fidei contractibus, necnon etiam in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jurando causâ cognita res decidi oportet."

IV. Hujus juramenti in legibus quidem Romanis frequens mentio occurrit; compertamque est, juramenti hujus usum fuisse Romanis multum familiarem: at in pristinis Canonibus aut Pontificum epistolis vix ulla est juramenti hujus, aut similis, ad causarum decisionem à iudice adhibendi memoria.

V. Admodum verisimile est, hoc juramentum ex foro sæculari unâ cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrasse; apparetque ex Pontificum responsis, Pontifices legum præscriptum in materia hujus juramenti fuisse sequutos.

VI. Unde Alexander III. reprobandis consuetudinem, quæ apud quosdam invaluerat, "ut cum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis aut testibus introductis, Sacramentum nihilominus deferatur: quod si subire noluerit, fides probationibus exhibitis non habetur." Fundamentum reprobationis hujus allegat: quod hæc consuetudo nulla sit ratione subnixâ; "sed manifestè (ait) legibus adversetur, quæ tunc demum ad hujusmodi suffragium decurrendum esse decreverunt, cum alia legitime non suppetunt." Ita igitur in secunda Collectioe Decretalium apud Antonium Augustinum De Probationibus cap. 1.

VII. Unicam Decretalem de hoc juramento habemus in Decretalibus Greg. IX. sub titulo De Jurejurando, nimirum in Cap. fin. ejusdem tituli; & quam, uti post Cujacium ad hoc Capitulum notavit Emmanuel Gonzalez in notis ad eandem Decretalem, Gregorius IX. totam deprompsit ex edito Prætoris & ejus interpretatione per Prudentes factâ. "Nec est (ait Gonzalez) in hoc titulo (De Jurejurando) alia, quæ ad juramentum decisivum litis spectet, nisi præsens; cum in aliis actum esset de juramento extrajudiciali in aliis actibus validis & invalidis præstito."

VIII. In hac igitur Decretali significat cuidam iudici Gregorius IX. "Juramentum à te (Iudice) parti delatum, nisi iusta de causa non potuit recusari: quamvis quod in iudicio à parte parti deferretur, recusari possit licet ac referri. Nec liceat Convento famosa actione referre hujusmodi iusjurandum."

Sed ne iudex hujus probationis usum semper adhiberi posse arbitraretur, subiungitur: "Sanè si actor omninò in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo, reo debet potest, ad ostendendam suam innocentiam, juramentum, nisi iudex (inspectis personarum & causæ circumstantiis) illud actori videat deferendum."

IX. Ex hoc itaque textu uno consensu deducunt Interpretes, juramentum hoc non esse à iudice deferendum, nisi in causis admodum dubiis, & quando per ordinariam probationis media veritas haberi nequit. Hæc enim probationis species est merè subsidiaria; ideoque non admitenda, nisi deficientibus aliis probationibus, uti loquitur lib. 35. ff. de Jurejurando.

X. Ulterius probatio per juramentum non est assumenda à iudice, nisi causa ita sit disposita, ut nequeat se determinare, ob argumenta utrimque militantia, pro qua Parte, id est, an pro reo, an pro actore sit pronuntiandum; neque medium ordinarium suppetit, quo jus unius alteriusve partis ulterius elucescat, ut se iudex in pronuntiando determinare queat.

XI. Hinc Duarenus Lib. 2. Disp. 33. causas dubias, in quibus iudices solet deferre hoc juramentum asserit L. 31. ff. eod. interpretatur illas causas, in quibus iudices eò redacti sunt propter paritatem probationum, ut hæsitent, & in utramque partem propendeant, & inclinent: reprehenditque tamquam iniquum, quod nonnulli tradunt, hoc juramentum posse in supplementum probationis deferri actori, modo vel unum testem protulerit.

XII. Antonius Faber in Codice lib. 4. tit. 1. Definit. 1. nota 9. advertens, quod "omnibus in re propria dicendi, testimoniis facultatem Jura submoverunt, eadem ratione putat nec defendi posse ullâ juris ratione iusjurandum, quod *suppletivum* vocant." Et Definit. 4. dicere aude, jam pridem inveterato errore obtinuisse, ut si alteruter litigantium *semiplenas*, ut vocant, probationes adferat, quod iustis probationibus deest, exacto per iudicis officium præterente jurejurando suppleri possit. Et in notis n. 5. eandem suam sententiam repetens ait: *Error enim Interpretum & Pragmaticorum ille est.*

XIII. Quidquid sit de hac Fabri opinione, hoc equidem indubitatum est, admodum parca & circumspicere hoc iusjurandum à iudice Parti in supplementum probationis deferendum esse: quandoquidem negari nequeat, quin verum sit, per hanc juramenti delationem jurantem in re propria testem adhiberi, atque ab ejus juramento causæ decisionem peti.

XIV. Quid enim hinc natum consequi, nisi ut homines parum religiosi, facile spe victoriæ consequendæ illecti ad perjurium inducantur; alii verò perjurii metu deterriti, etiam juramentum sibi delatum in causâ iusta præstare recusantes, causâ cadant.

XV. Unde in antiquis Visigothorum legibus legitur L. 2. c. 22. "Iudex, ut bene causam cognoscat, primum testes, interrogat ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad Sacramentum facile veniatur." Hoc enim iustitiæ potiùs indagatio vera commendat, ut scri-

scripturæ ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omninò suspendat."

XVI. Et in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. c. 97. "Volumus, ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque Iudex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facile ad Sacramenta veniant."

XVII. Refert Rebuffus in Proœmio ad Constitutiones Regias Glossa 5. num. 58. non servari in patria consuetudinaria Regni Gallia citatam L. 31. ff. De Jurejurando. & L. 3. Cod. eod. "Quia (ait) vix defertur juramentum in supplementum probationum in contractibus stricti juris, etiam si semiplenè probatum fuerit: sed reus iudex absolvit, nisi hoc à Rege per rescriptum concedatur."

Addit nihilominus, "quod serventur leges illæ in patria juris scripti, in qua (ait) sine litteris iudex defert, si expedit, juramentum, etiam in contractibus stricti juris."

XVIII. Testantur quoque Pragmatici nostrates, juramenti hujus suppletorii usum moribus nostris non planè abiisse in defectum, uti pluribus citatis refert Simon A Groenewegen De Legibus abrogatis ad L. 3. Cod. de Rebus creditis; addens tamen, quod "rarius soleant hodie iudices in supplementum probationis alterutri litigantium juramentum deferre."

Rationem præmittit desumptam ex L. 8. ff. de Condit. Institut. Quia "faciles sunt nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis usque ad superstitionem."

XIX. Sed & passim Pragmatici tradunt, hoc juramentum ob perjurii periculum magna cum moderatione & circumspicione esse deferendum.

Atque in primis juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cum criminaliter agitur, imò vel civiliter ex actione famosa, qua Reus damnatus redderetur infamis, tradunt communiter Doctores ad Cap. fin. & De Jurejurando, ubi dicit Pontifex: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum.* Rationem illius allegat Damhoderus in Praxi rer. civil. c. 179. n. 9. "Ne videlicet Reo detur occasio pejerandi, ut scilicet infamiam evadat."

XX. Sicuti ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum non est in causâ criminali aut famosa; ita nec in causâ civili, ardua, & notabili, quemadmodum post Glossam ad L. 31. ff. De Jurejurando, notant Doctores; Nemo enim non videt periculum esse pejerandi, ubi de re ardua & notabili perdenda, aut lucranda agitur.

XXI. Dicitur autem causa ardua, magna vel modica, juxta conditionem personarum litigantium, & ex diversitate locorum, uti post Panormitanum ad Cap. fin. & De Jurejurando notârunt Doctores. Certum enim, rem respectu unius personæ posse estimari arduam & magnam, quæ alteri personæ esset modica: ita ut respectu illius esset evidens pejerandi illecebra, & non respectu hujus.

Similiter de loco dicendum; nam in quibusdam locis res habetur pretiosa, quæ in aliis reputatur vilis, uti monet ibidem Panormitanus.

XXII. Dicit quoque ibi Panormitanus, circa personas attendendum etiam est, num divites sint, an pauperes; præsertim si de re temporali agatur. Nam cum pauperes magis temporalibus indigeant, atque harum defectu multa incommoda sustinere cogantur, verendum, ne ad consequendam rem temporalem, aut eam conservandam præiores ad perjurium reddantur.

XXIII. Observandum monet Antonius Faber loco citato Definit. 1. notâ 10. quod "Senatus Sabaudia districtè observet, ut non condemnentur Reus eadem interlocutione, ne, quæ actor admittit ad iusjurandum suppletivum, ne quidem cum hac clausula, quam inferiores iudices adde- re solent, & præstito jurejurando. Ita enim videretur is, qui certus esset de victoria, invitari ad jurandum, ac fortè, talle ad pejerandum. Ergo in tempus præstiti juramenti est differenda condemnatio."

XXIV. Hæc ille, qui & Definit. 8. monet, quod hoc juramentum suppletivum à iudice deferendum non sit, nisi petenti; nec sufficere, quod jus & iusticiam, ut ex vulgari Advocatorum stylo fit, sibi administrari petierit. "Nam sicuti (ait) non facile quisquam credendus est jurare velle: Ita nec ad jurandum à iudice invitandus est, propter periculum perjurii, si juretur, aut suspicionem calumniæ, si iusjurandum à iudice non petenti oblatum recusetur."

XXV. Additque rectè notâ 6. "Etsi enim non præsumitur jurans immemor salutis æternæ, nemo tamen, necit, quàm facile plerique vel pro re minima pejerent."

XXV. Ex his aliisque facile intelligitur, verisimè monere Pragmaticos, per iudices maximo cum moderamine & circumspicione hoc juramentum esse deferendum eo, quod per illud Pars quodammodo in propria causa testis constituatur, & spe lucri allequendi, aut damni evitandi ad perjurium incitetur, & quasi impellatur.

## TITULUS VIII. De Instructione Casuarum Criminalium.

### CAPUT I.

#### De Accusationibus & Informationibus prævis.

- 1 In foro Eccles. malis sæculis criminum punitio sine formalitatibus juris peracta fuit.
- 2 Forma hodierna criminalis fori Ecclesiastici ex Legibus Civilibus desumpta.
- 3 Concilium Lateranense IV. triplicem modum crimina prosequendi proponit.
- 4 Primus est per accusationem, cuius definitio proponitur.
- 5 De Jure Accusatio fieri debet per libellum.
- 6 Forma accusationis in Legibus Romanis expressa, qua occasione in foro Ecclesiastico olim recepta?
- 7 Accusans in libello accusationis inscribere se tenebatur de Jure Romano; quod & Jure Decretalium cautum est.
- 8 Ad quid se obligaret accusans per hanc inscriptionem?
- 9 Forma inscriptionis expressa apud Gratianum.
- 10 Etiam in Belgio aliquando fuit necessitas inscriptionis. Van Espen Jur. Eccl. P. III.

- 11 Ad præveniendum nimium accusandi prurium indulta necessitas inscriptionis.
- 12 Ad præveniendum privatorum accusandi prurium, adempta ipsis hodie est auctoritas accusandi criminaliter, & publicis Officialibus reservata.
- 13 His Officialibus remissa est inscriptio, qua & hodie penè à foro recessit.
- 14 Interdum tamen penè extraordinariâ ob malè institutam accusationem puniuntur.
- 15 Officiales hi non solent quoque in expensis solvendas condemnari.
- 16 Articulus Ordinationis Curia Brabantia super expensis factis per Procuratorem Regium in causa criminali.
- 17 Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum?
- 18 Deficiente accusatore Iudex ex officio potest procedere viâ inquisitionis.
- 19 De Jure hic procedendi modus erat extraordinarius; ad de consuetudine est ordinarius.
- 20 Hodie semper proceditur in causa criminali viâ inquisitionis.